



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus, Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia - Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1678**

§. 19. De aliis quibusdam Ritibus Ecclesiae Orientalis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9929**

## S. XIX.

*De aliis quibusdam ritibus Ecclesie Orientalis.*

I. **I**Nter mare Caspium, & Pontum Euxinum sitæ sunt Iberia, Colchis, & Albania. Albanenses ritum sequuntur Armenum in propriam linguam translatum. Sed advertendum aliam esse Albaniam in Europa, sic dictam ab Albanis Asiaticis qui à Tartaris expulsi istic confederunt. Est hæc illa pars Macedonia, quæ ad mare Jonicum vergit, & Illyrico sive Dalmatiæ jungitur, atque etiam Epirum complectitur, habetque proprium idioma ab Illyrico, & Græco diversum, quo sacra gentes illæ peragunt ritu Græco. Iisdem Græcis ritibus utuntur Colchi, & Iberi suo quisque idiomate. Colchi nunc Mengrellenses vocantur, habitantque sylvosos colles, & saltus horribiles sparsim more ferarum, absque ulla non solum urbis, sed nec vici quidem frequentia. Huc Jasonem cum Argonautis navigasse, aureumque vellus in Græciam transluisse Poëtæ fabulati sunt. Vix præter nomen quidpiam habent Christianæ Religionis. Iberi nunc Georgiani dicuntur. Circa divinum Officium in eo sunt errore, ut non omnes Ecclesiastici illud recitent, sed unus tantum, vel duo, cæteris adstantibus, & minimè attendentibus. Horum mores, & hæreses fusè describit, qui eas regiones peragravit, Clemens Galanus in conciliatione Ecclesiæ Armenæ, & Romanæ, *parte 1. cap. 12.* Chaldæi & Syri ritum Maronitarum sequuntur, sed hæretici Nestoriani, & Jacobitæ plerique sunt. Nestoriani in Babylonia, Persia, & aliis Asiæ regionibus degunt, & in Mesopotamia. Invocant in divinis Officiis Nestorium, & Theodorum Mopsuestenum, & S. Cyrillum anathematizant. Residet ut plurimum eorum Patriarcha in civitate Mosal, quam dicunt esse.

V u iij

Niniven magnam. Jacobitæ à quodam Jacobo Syro Dioscori sectatore nomen acceperunt, suntque dispersi per civitates, & oppida Syriæ, Mesopotamiæ, & Babyloniam. Horum Ecclesia Patriarchalis est in Mesopotamia extra civitatem Mardim in Monasterio Zafran. Verum Patriarcha residere solet in civitate Caramit, ut testatur Thomas à Jesu lib. 7. de Conversione omnium gentium procuranda. Alii sunt in Persia, & India Orientali solo nomine Christiani, qui se Christianos S. Joannis Baptistæ nuncupant, sed hi nullum Officium recitant, carentque forma, & materia legitima Sacramentorum. In Indiis item Orientalibus in Provincia Malavar propè insulam Zeilan est alia natio Christianorum, qui dicuntur Christiani S. Thomæ. Hi olim Archiepiscopus ex Armenia habuerunt, qui lingua Syriaca divina Officia ritu Armeno celebrabant, quo idiomate etiam nunc utuntur. Ideo qui sacris initiari volunt, præter communem regionis linguam, etiam Syriacam, ut nos Latinam, ediscunt.

## §. XX.

*De Codicibus sacrarum Precationum.*

I. **C**ODICES divinorum Officiorum, sive, ut loquitur Vigilius Papa epist. 1. ad Eutherium, Canonice precis textus apud Græcos multi sunt. Psalterium in 20. Cathismata divisum, ut supra dictum est. Lectiones veteris, & novi Testamenti; Triodium, in quo sunt Canones trium Odarum, quæ tempore Quadragesimæ recitantur. Pentecostarium, in quo sunt Officia à die Paschatis usque ad Pentecosten. Menæa in 12. tomos divisa, quot sunt menses, & continent Officia Sanctorum. Menologium, in quo nomina Sanctorum, & vitæ breviter recensentur, fusiùs tamen quam in Latino Martyrologio. Euchologium continens Ora-